

mentum, canonem, five normam, secundum quam interpretatio instituenda fit, aut ad quam exploranda veniat: Sed officium ac munus hoc soli tribuunt S. Scripturæ, ut ipsa sui sit interpres, ac interpretandi norma, (sicuti cap. 10. & 11. fusè explicuimus) omnibus viribus ostendere contendentes, Socinianos ac Remonstrantes id rationi assignare, ut liquet ex Censur. in Confessionem Remonst. cap. 1. Sect. 14. & 16. & Hoornbeek Socinianism. confutat. Tom. 1. lib. 1. cap. 6. Quod tamen ego nec expressè in illorum Scriptis reperi, nec ex illis colligere potui, ne ex ipsò quidem ex Breui disquisitione contra Valer. Magn. jamjam allegatò locò. Ipse enim Amandus Polanus non infimæ notæ inter Reformatos Scriptor, in suò Theologiæ Syntagmate, lib. 1. cap. 45. quæst. 6. agens de Mediis inveniendi verum Scripturæ sacræ sensum & usum, inter ea, quæ in ipsâ Scripturæ meditatione adhibenda sunt, recenset quintò locò, *Ordinem & methodum in sensu & usu investigandò. Cujus prima consideratio est propositi; secunda Thematica, de quò agitur; tertia argumentorum, quibus Thema explicatur, aut confirmatur, simul circumstantiarum, nempe personarum, occasionis, loci, temporis, antecedentium & consequentium, &c. Et septimò, Comparationem unius loci cum aliis parallelis & similibus, obscurioris cum claris & apertis de eadem re agentibus. Et octavò, Collationem loci explicandi cum aliis dissimilibus, quin etiam in speciem pugnantibus, eorumque conciliationem. Ac denique duodecimò, Artium & disciplinarum, & imprimis Grammaticæ, Rhetoricæ, & Dialecticæ, Physicæque cognitionem.* Et similia passim apud alios etiam occurrunt. Quæ omnia si apud Reformatos Mediorum veniunt nomine, quidni & eodem apud Remonstrantes & Socinianos venire possunt? quin etiam venire videntur & quidem simili, quò apud Reformatos, modò, ut patet ex Smalcio contra Frantsium in præfatione, quando ait, *ubi interpretatione opus est, ibi nos non rationem principaliter sequendam dicimus, sed ex ipsis S. Literis earundem interpretationem petendam esse docemus, adeoque ex ore Magistri Spiritus sancti toti pendemus.* Adeò ut hæc nullum firmum fundamentum Reformatis præbeant colligendi, illos Rationem interpretationis normam statuere, quod tamen tantò studiò atque molimine probatum dare annituntur. Quicquid sit de Arminianorum Socinianorumque Sententiâ, perinde nobis est, quibus non quid hi aut illi sentiant, sed quid veritas dicet indagare animus est.

8. Propriam igitur, & quam veram judicamus de interpretationis normâ sententiam, ut denique exponamus & cum præcedentibus conferamus, dicimus, neminem, se verum & genuinum sensum, tam loci Scripturæ clarioris intelligere, quàm obscurioris eruisse, atque explicuisse, nisi eum per aut ad veram Philosophiam, tanquam normam infallibilem, investi-

investi-